

Lib. XXXIII. Tit. I.

De annuis & mensuris legatis
& fideicommissis.

- §. 1. *Annuum* s. in singulos annos relictum legatum plurificatur, & primo anno est purum, sequentibus conditionale, si vivat, nisi alia mens Testatoris. Collegiis relictum tale, perpetuum est.
- §. 2. Debetur ingressu cujuslibet anni, E. legatarius initio anni decedens heredi relinquit. Secus ac Usufructuarius.
- §. 3. Differt à stipulatione in annos singulos, quæ una est & quidem pura ipsoque Jure perpetua, idque vel simpliciter, quæ nulla exceptione eliditur, vel secundum quid (v.g. annua 10 dabo quoad vives) ubi repellitur heres ope exceptionis.
- §. 4. *Annuâ bimâ trimâ die* (vel contractè solum *trimâ die*) relictum legatum est pensio per 3. annos, ut singulis tertia pars, licet nihil sit determinatum, solvatur. Si adjectum sit, *pensionibus inequis, vel quas putaverit legatarius vel heres*, arbitrio boni viri committitur trichotomia.
- Si summa non sit expressa, id videtur relictum quod Testator aliàs solitus est, aut quod pro dignitate & conditione personæ æquum est.

Fff 3

Tit. II.